

v. 28, dixerit Dominus: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel?* Multa habuit Christus nomina, et non ab alio imposta, quàm à Deo; vix tamen illorum in Scripturâ totâ aliquod occurrit. Isaïæ cap. 7, vocatur *Emmanuel*; et c. 9: *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*. At horum nominum in Scripturâ sacrâ ubi locus?

Pro his, aliisque hujusmodi nominibus, quorum in sacris litteris non est exiguus numerus, observandum est, sicut *nomen* idem interdum est, quod ille, cujus est nomen; unde *nomen Dei*, idem est non rarò, quod *Deus*; *nomen meum*, idem quod *ego*: sic etiam *nominari*, seu *vocari*, idem est, quod *esse*. Hinc lucem accipiunt plurima Scripturæ sacræ loca, in quibus aliquid dicitur hoc, vel illo modo vocari; aut hoc, vel illud habere nomen, quia tale est. Unde Isaïæ cap. 62, dicitur de Jerusalem: *Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in eâ*. Id est, non eris desolata, et derelicta; sed in te fiet voluntas mea. Et c. 9, Christus vocatur *Consiliarius, Admirabilis*; id est, *erit Consiliarius*. Et Ezech. c. 48, in fine: *Nomen civitatis Dominus ibidem*: id est, *Dominus erit in eâ civitate*. Sic etiam Salomoni futurum dicitur esse nomen *Jedideiah*, quia ille *Deo erit amabilis*; quod sanè res ipsa docuit, quando tot illum Deus modis ornavit.

Hic nobis breviter dicendum, cur cum ante Salomonem natus fuerit parvulus iste, quem ex utero penè Deus ad tumulum transtulit, Prov. c. 4, v. 3, se Salomon *unigenitum* vocat: *Nam et ego*, inquit, *unigenitus fui coram matre meâ*. Rationem hujus Hieronymus reddidit in illum locum, quæ refertur Extrav. de verborum Significat. cap. *Nam et ego*. Sic autem ibi Hieronymus: « Quare unigenitum se nominat, quem fratrem uterinum Scriptura præcessisse testatur? Nisi quia ille mox natus sine nomine quasi nunquam esset, de vitâ decessit. » Sed est longè difficilior, quia lib. 4 Paral. c. 3, v. 3, quatuor filii nati dicuntur ex Bethsabee, haud dubiè Davide parente, quorum postremus ponitur Salomon. Hic Hebræi somniant suo more, dicuntque, tres priores filios esse quidem Bethsabee, sed ex Uriæ satu, sed adoptatos à David. Quod ex eo falsitatis arguitur, quia Lucæ c. 3, inter progenitores Christi ponitur Nathan filius David; qui si filius fuisset Uriæ, ex Uriâ potius, quàm ex Davide diceretur Christus originem duxisse. Sed cur

dicitur Salomon *unigenitus*? sanè, quia patri, matrique dilectus; quod ipse docuit Prov. c. 4, v. 3: *Nam et ego filius fui patris mei tenellus, et unigenitus coram matre meâ*. Ubi, quod est in Scripturâ sacrâ frequentissimum, nota similitudinis subauditur, in hunc sensum: Fui patri meo, et matri quasi unigenitus id est, non minus illis charus, atque si forem unicus. Notum autem est in Scripturâ, *unigenitum*, et *unicum*, pro maxime dilectis usurpari; quia ubi plures filii sunt, amor in multos distrahitur, et fit levior; ubi unus est, in illum totum amoris pondus collectum incumbit. Vide quæ nos pluribus ad illud Cant. 6: *Una est columba mea*. (1)

VERS. 26. — Igitur pugnabat Joab contra Rabbath (2). Longum hyperbaton, quod interjectum est, obscuram reddit, et implexam historiam; quæ sic, opinor, erit expedita magis, si duo hic tempora distinguamus; et quid in illis seorsum factum fuerit, seorsum item consideremus. Certum est, et observatum sæpius à Patribus, et à me non semel, non semper eo ordine ab auctoribus Canonicis illa narrari, quo gesta sunt, sed pro rerum opportunitate variè. Quare frequens est in Scripturâ illa figura, quæ prolepsis dicitur, seu anticipatio, per quam aliqua à sacris scriptoribus narratur ante suum tempus. Quod tunc plerumque fieri solet, quando interrupto filo, historia fieret obscurior. Deducto autem ad finem, seu ad notum aliquem et illustrem locum narrationis filo, ad id, quod omissum videbatur, recurrit historia. Exempla sunt plurima; aliquot nos adduximus tract. 1 de Prædicatione S. Jacobi in Hispaniâ, c. 10, quem Commentariis Actuum Apostolorum attexuimus. Constat Herodem obiisse anno tertio Claudii, ex Josepho l. 19 Ant. c. 7. Ejus autem mors narratur à Lucâ Actorum c. 12, postquam liberatus est

(1) VERS. 25. — MISITQUE IN MANU NATHAN PROPHETÆ, ET VOCAVIT NOMEN EJUS: AMABILIS DOMINO. Hebræus fert ad litteram: *Misit Dominus in manu Nathan prophetæ, et vocavit nomen ejus, Jedidiah propter Dominum*. Theodotion: *Appellavit Jedidiah in verbo Domini, seu de jussu Domini, vel, ut ipse Dominus appellaverat*. (Calmet.)

(2) PUGNABAT JOAB CONTRA RABBATH, ET EXPUGNABAT URBEM REGIAM. Hebræus: *Pugnabat Joab in Rabbath, et cepit urbem regis*. Sed positum hic esse creditur cepit, pro *jamjam expugnaturus erat*, res cœpta pro absolutâ. Fortè etiam *urbs hæc regia* aliâ erat à Rabbath, seu potius pars ejusdem urbis, quam armis Hebræus imperator jam subegerat; quare brevi se totam in potestatem redacturum sperabat. (Calmet.)

Petrus à carcere, id est, duobus fermè annis antequàm moreretur, quia nullum narrationi tempus erat magis opportunum. Ex hujus regulæ seu ignoratione, seu incogitantia quidam argumentum sumpserunt, ut persuaderent aliis, Jacobum Zebedæi filium non potuisse in Hispaniâ prædicasse, quia Cornelium anno octavo ab Ascensione Domini conversum esse putant. Nos autem ex hæc regulâ, loco illo citato conversum fuisse Cornelium diximus eodem, quo Paulus, et Eunuchus Candacis reginæ anno, id est, altero anno ab Ascensione Domini; quod etiam eo anno Christi tradit Chronicon Alexandrinum, quod Eunucho conversionem cum Cornelii conversione conjungit. Quâ de re nos ibi pluribus.

Ego igitur sic arbitror, totam illam historiam de Nathan, de pœnitentiâ Davidis, de ortu, ac morte infantuli ex adulterio concepti, et ortu Salomonis, accidisse multò postquam capta fuit à Davide Rabbath, et de Ammonitis sumptum barbarum et immane supplicium. Quare quicquid est à principio capitis ad verbum usque 26, interjectum est per hyperbaton in alienum locum; et ideò, quicquid ab eo versu ad finem usque capitis reliquum est, cum extremâ præcedentis capitis parte conjungi debet; ita ut post Uriæ cædem, de quâ in fine capitis 11, statuenda sit urbis expugnatio, de quâ in hujus capitis extremâ parte. Reliqua perinde habenda, ac si aliena prorsus forent ab Ammonitarum urbe vel obsessâ, vel captâ.

Hoc autem multæ suadent, gravesque conjecturæ. Prima quia inter obsidionem Rabbath, et extremum tempus, quod habes in hyperbato, menses intercessere viginti, aut eo etiam plus. Jam enim Joab obsederat Rabbath, quando David captus est amore Bethsabee, et fortasse non parùm temporis ab obsidione transierat; postea conceptus est, et natus filius ex adulterio, et datum aliquid temporis Davidis pœnitentiæ: deinde conceptus, et natus Salomon. Quis autem credat, tantùm temporis in eâ obsidione fuisse consumptum? Accedit, quod obsidionis tempore Arca Dei erat in castris Joab, ut dixit Urias c. 11, v. 11: *Arca Dei, et Israel, et Juda habitant in pavilionibus, etc.* At quo tempore mortuus est infantulus, jam videbatur in suam sedem, id est, in arcem domumque Davidis fuisse restituta. Hoc videtur intelligi posse ex illo v. 20, ubi David ingressus esse dicitur in domum Domini, atque ibi adorasse. Suadet hoc valdè, quia trans-

acto hyperbato, seu longâ parenthesi, additur statim illa particula, quæ subjici post parenthesis assolet, quæque aliter omninò videtur otiosa. Sic enim cap. 26: *Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon*. Sed est apud me gravissima ratio, quæque me omninò cogit ita existimare. Neque enim adducet me quisquam, ut credam, à Davide de Ammonitis tam dirum et ad illud usque tempus forsitan inauditum sumptum esse supplicium, nisi eum cæcus esset propter peccatum, maxime luxuriæ, quæ omnem ab homine non solum pudorem et humanitatem, sed etiam consilium et mentem expectorat. Quare David peccator, suæque libidini intemperanter indulgens, alius erat à Davide, dum de Deo potius, atque frequentius, quàm de captandâ voluptate cogitaret. Res est nota, et à multis jam pridem observata, luxuriosos plerumque esse crudeles, et quò magis fuerint dediti libidini, eò etiam magis esse inhumanos. Neque id mirum, cum libido omnem vim amoris exauriat, quem in rem contulit turpiter, et intemperanter amatam. Eo ergo tempore, quando totus in libidinem projectus se ipsum retexerat, et in horribile monstrum efformarat, multa fecit, quæ ante illud tempus, et postea jam sibi restitutus damnavit. Ille, qui toties Saül pepercit, qui injurias suas ulcisci noluit, et illas, quia ipse aliter non putabat personæ publicæ, et æquitatis vindici satisfieri posse, Salomoni filio puniendas tradidit; idem cum intemperanti se tradidit voluptati, Uriam occidit, et multos cum illo sine ullo operæ pretio ac causâ perire passus est. Idem populum Ammonitarum *multis in locis serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum*. Quæ sanè non faceret, postquam ad vocem Nathan peccatum agnovit suum, et post duas voculas audivit translatum esse peccatum, et mortis supplicium ab ejus capite depulsum. Et quidem multò levius peccatum admiserant Ammonitæ, quàm David; illi enim tantùm legatorum absciderant vestes, et barbaram raserant et caput; hic uxorem abstulerat, virum occiderat, quo nemo erat in exercitu melior, et de re Israeliticâ optimè cum primis meritum; et plures occiderat ex suis, ne unus mortem effugeret. Peccarant ex Ammonitis in legatos pauci, et ille plurimos ex omnibus civitatibus durum illud tormenti genus subire coegit. Faceret hæc David post defletam culpam, post veniam obtentam? Sanè, ut reor, nemo id sibi persuaderet. Ali-

quid simile fecisse dicitur Gedeon, Judic. cap. 8, v. 16; verum neque ita crudeliter, neque in ita multos. (1)

IGITUR PUGNABAT JOAB CONTRA RABBATH. IN

(1) VERS 27. — DIMICAVI ADVERSUM RABBATH, ET CAPIENDA EST URBS AQUARUM. Alterum est hoc nomen urbis Rabbath. In superiori versiculo appellatur *urbs regia*, hic verò *urbs aquarum*. Hebræus legit: Capi urbem *aquarum*, quæ verba ita accipienda sunt, uti supra, v. 26. Urbs aquarum ipsa erat facilè urbs inferior, imminens torrenti Jaboc, quam fluenti illius aque irrigabant. Hanc Joab expugnauerat; sed capiendi urbem superiorem, quæ munitionibus validior erat, gloriam Davidi reservavit. Junius vertendum censuit: *Præcidi aquas subeantes urbem*. Versioni huic favet Josephus tradens, Joabum, præcis aquæductibus aquam in urbem ferentibus, præclusaque omni hostibus viâ, unde annonam sibi comparare possent, in arctas annonæ et potûs angustias redegissem, ut nonnisi unius putei aquas intra urbem illi præstò haberent. Narrans Polybius libro 5 ejusdem urbis obsidionem per Antiochum, scribit, quemdam è transfugis indicasse regi ductum subterraneum, unde obsessi clam ad hauriendas aquas egrediebantur; eo autem jussu regis clausos obsessos siti adactos sese dedidisse. (Calmet.)

Mirare hic fidelitatem et modestiam ducis Joab, qui refutans gloriam urbis mox capiendæ, sibi debitam, quam belli duces adeò ambire solent, eam in solidum transcribit in regem suum Davidem.

Unde tropol. discant Christiani gloriam suorum operum licet heroicorum totam resignare in Davidem verum, id est, in Christum et Deum, quia ipse eorum est causa totalis; licet enim homo per naturam et liberum arbitrium ea liberè operetur, tamen tota dignitas eorumdem est à gratiâ Christi. Opus enim charitatis, v. g., libertatem habet ab homine, quòd scilicet sit opus liberum, non coactum vel necessarium, sed à Christi gratiâ habet quòd sit supernaturale, Deo gratum, et meritorium gloriæ æternæ. Soli Christo ergo debetur ejus decus, laus et gloria. Hoc est quod ipse ait: *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaïæ 48, 11. Ipse enim totam utilitatem, meritum et præmium operis boni liberaliter donat homini operanti; omnem verò ejus gloriam sibi reservat. Unde 24 seniores mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: *Dignus es Domine, Deus noster, accipere gloriam et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia*, Apoc. 4, 10, ac consequenter creasti ipsum liberum arbitrium nostrum, eique vim cooperandi gratiæ tribuisti, ac gratiâ tuâ præveniente illud et excitasti ad benè operandum, ac operanti per gratiam cooperantem cooperatus es. Dicamus ergo cum Psalte, cum quid boni agimus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, psal. 113. Unde allegor. Angelom.: *Dux David, inquit, contra hostes bellum agit, cum ordo sanctorum prædicatorum, contra mundi potentes, scutum fidei opponit. Sed finis certaminis et triumphus belli ad regem Christum solummodò deferretur, quia ipsi omnis potestas et potentia regni adscribitur. Deus est enim (secundùm Apostolum) qui operatur in nobis et velle et per-*

fine præcedentis capitis, cui, ut diximus, id quod nobis modò venit in manus conjungendum est, admonuerat David Joab, ut obsidionem urgeret, neque studium remitteret, aut desponderet animum, quando varii sunt bellorum eventus, et inclinationes subitæ. Igitur ut mandatis obsequeretur Joab, quæ data essent à rege, pugnabat acriter contra Ammonitarum civitatem regiam. Cùmque illius jam propè appareret exitium, cùm neque hostibus essent ad resistendum vires, et audacia, neque Hebræis deesset ad invadendum facultas et alacritas, re Davidi, cui ab evertendis, capiendisque civitatibus aliis immortalis advenerat gloria, hæc deesset ad illustre nomen non levis accessio, illum admonet, ut novum secum afferat delectum, et ipse præsens adit,

*ficere, et ipse triumphat nos semper in Christo* (Corn. à Lap.)

*Venez au siège de la ville de Rabbath, et la prenez, de peur que, lorsque je l'aurai détruite, on ne m'attribue l'honneur de cette victoire.* Joab, comme nous avons vu auparavant, était un homme tout du monde. Son ambition le possédait, et il était prêt à la satisfaire par des assassinats même, et par les crimes les plus énormes. Mais en même temps c'était un sage du siècle, aussi prudent dans ses desseins que hardi dans ses entreprises, et qui savait l'art de plaire à son prince. C'est ce qui paraît en cette rencontre. Il avait mis la ville de Rabbath en état de ne pouvoir plus soutenir un plus long siège. Il prie David d'y venir en personne, afin qu'il ait la gloire de l'avoir prise. C'est une action très-estimable en elle-même, sans nous mettre en peine d'examiner les mouvements secrets qui l'ont pu produire; et elle est l'image de ce que nous devons faire à l'égard de Dieu. C'est à nous à combattre pour lui contre nous-mêmes de toutes nos forces; et si nous demeurons fermes dans ce combat, nous devons dire avec saint Paul: *Rendons grâces à Dieu, qui nous a donné la victoire par Jésus-Christ*. Il y a même cette grande différence entre les serviteurs des rois de la terre et ceux de Dieu, que ces premiers peuvent avoir de très-grandes qualités que les rois n'ont pu leur donner, au lieu que les seconds n'ont rien que ce qu'ils ont de celui qu'ils servent. Joab était sage et vaillant. Il ne devait à David, ni sa prudence, ni son courage. Mais les serviteurs de Jésus-Christ lui doivent tout. Sans lui ils ne sont que ténèbres et que faiblesse, et ils ne peuvent combattre pour lui, si lui-même ne combat dans eux.

C'est pourquoi, comme c'est le comble de l'injustice et de la folie que de nous attribuer quelque chose dans le succès de cette guerre spirituelle, aussi rien n'est plus sage ni plus juste que de rendre à Dieu avec joie tout ce qu'il lui a plu de mettre dans nous, et de lui dire de tout le cœur, comme David fait si souvent dans ses psaumes: *C'est vous qui me tenez par la main, et qui m'apprenez à combattre; vous êtes seul ma force et ma gloire.* (Sacy.)

ut suo auspicio et imperio res tota videatur transacta. Quo loco fidelem se ostendit Joab, et regis dignitatis studiosum, qui abire à se voluit tantam gloriam, ne regi suo aliorum excideret. Addit Josephus lib. 7 Ant. cap. 7, ad quem statum urbs esset redacta, cùm à Joab litteræ venerunt ad Davidem: ait enim, intercluso commeatu obsessos laborare fame, et præcis tubis, et canalibus, per quos aquæ in civitatem influebant, omnia commoda ad vitam necessaria deficere. Ita ut aquis aliò detortis, unus tantum in urbe superesset puteus, à quo obsessorum spes tota penderet; cùmque aqua ibi esset angusta, sic dispensabatur parcè, ut sitim non expleret. Unde hoc sumpsit Josephus, non video; forsàn ea erat Judæorum traditio. Nisi dicamus, id ex eo conjectasse aut divinasse Josephum, quia Joab scripsit capiendam esse civitatem aquarum; quasi dicat civitatem, quæ aquarum abundabat jugi scaturigine, eò esse redactam, ut explere non possit obsessorum sitim.

VERS. 30. — ET TULIT DIADEMA REGIS EORUM DE CAPITATE (1) EJUS PONDO AURI TALENTUM, HABENS GEMMAS PRETIOSISSIMAS, ET IMPOSITUM EST SUPER CAPUT EJUS. Fecit David, quod visum est Joab, et collectas ex reliquo populo copias in aciem produxit, et cùm ad extremum civitatem in-

(1) Allegor. Angelomus: *Coronam, inquit, regis populi hostilis David de capite tulit, et diadema inde sibi formavit, cùm Redemptor noster ex contrariâ potestate regnum auferens sibi met insignem decorum paravit. Quæ autem melius corona David intelligitur, quàm conventus populi catholici, quæ caput nostrum, regem videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit, et quia ipse est, cui omne genu flectitur celestium et terrestrium atque infernorum; et omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hucusque Angelomus. (Corn. à Lap.)

On lit dans le second livre des Rois, que David mit sur sa tête la couronne du roi des Ammonites. Sur quoi Voltaire dit: *On prétend qu'un talent d'or pesait environ quatre-vingt-dix de nos livres de seize onces; il n'est guère possible qu'un homme ait porté un tel diadème... Le diadème d'ailleurs n'était qu'un petit bandeau.* Cette difficulté aurait quelque fondement si on s'en tenait à notre Vulgate; mais plusieurs savants ont observé que le texte hébreu du livre des Rois, rapproché de celui des Paralipomènes, peut être entendu de la valeur de cette couronne, plutôt que de son poids, car elle était ornée de pierres précieuses. D'ailleurs le vrai poids du *kikkar* hébreu, que les versions rendent par *talent*, ne nous est pas exactement connu. (Duclot.)

vaderet, tandem cepit, et cum eâ spolia optima, quæ secum asportavit Jerusalem. In his erat corona pretiosissimis instructa gemmis, quæ rex Ammonitarum utebatur, quam ereptam è regio capite, ad suum transtulit, cujus pondus erat non minus talento. Ubi hoc loco Vulgatus legit, *regis eorum*, lib. 1 Paralip. cap. 2, idem legit, *Melchom*, quod nomen est idoli. Quare non videtur diadema fuisse regis Ammonitarum, sed Ammonitarum idoli, id quod nonnulli putant. Sed dicendum est, utroque loco coronam esse regis; nam idem est utrobique Hebraicum nomen, et sanè Melchon, sive Malchan, quod est in Hebraico, idem valet, quòd *regis eorum*; noster autem interpres modò nomen ipsum peregrinum relinquit, modò illius tradit significationem. Ita putat Abulensis q. 29, et probat, quia filii Israel Deut. 7, prohibebantur ex argento et auro idolorum ad suos usus quicquam constare. *Sculptilia eorum igne combures; non concupisces argentum, et aurum, de quibus facta sunt, neque assumes quicquam ex eis.* Sed quodnam sit illud pondus, obscurum est. Hebraicè est *kikar*, quæ vox communiter *talentum* redditur. Quòd si illius præcisè pondus consideres, id est molem quamdam æris rudem, et nullo caractere percussam, centum pendit libras, atque ideò communiter existimatur esse quod Hispanicè *quintal*, et ita Hispanica translatio convertit. Neque de hoc dubitant viri docti, quod non difficilè colligunt ex lib. Exodi cap. 38, v. 25. Sed ut antiqua pondera minus æquavit pondus certâ notâ consignatum (ut apparet in *asse et librâ*, quæ procul absunt ab antiquo pondere; tantum tamen habent valoris, quantum olim habuit pondus illud majus; et nomen ideò retinet antiquum, et dicitur *as*, vel *libra*, cùm tamen neque unciam unam pendant), sic etiam *talentum* dicitur, quod propter incussum characterem tantum valet in minori pondere, quantum in majori habuit superiori ævo talentum rude. Quare corona aurea, quam suo sibi capiti imposuit David, talentare dicitur habere pondus; non quòd centum pendat minas, quod legitimum erat talenti pondus, sed quia tanti erat pretii, quanti olim habuit talenti pondus.

At dices illud *pondo auri talentum*, pondus potius significare, quàm valorem, aut pretium. Respondeo, si vim vocis, et proprietatem expendas, ita esse dicendum; verum usus obtinuit, ut mutata rerum specie, antiquus tamen retineatur dicendi modus. Exempla sunt plurima, et in hæc ipsâ materiâ non pauca. Modò